



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

2. Quando debet pœnitentiam adimplere pœnitens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ratio est, quia tota obligatio pœnitentis fundatur in voluntate Confessoris quasi leg flatoris, qui potest voluntatem suam moderari. Hinc obiter colligitur præceptum, ut liber, moderati. Hinc obiter colligitur rationem hujus gravis obligationis per nos non originari ex ratione Sacramenti, quasi requirerent satisfactionem ex parte nostra, sed potius ex parte Confessoris, ad id potestatem habentis, ut leg. Suarium cit. sec. 7. n. 5.

Quæres, An opinio illa, quæ docet pœnitentiam non teneri acceptare pœnitentiam, sit probabilis? Respondo: post Tridentinum multis non videtur probabilis. Et Victoria quidem apud Delugo disp. de pœnitentia, sec. 5. n. 88. & Valquez aiunt, post Tridentinum, esse verum quod Sacerdos possit obligare ad aliquam pœnitentiam: & Suarez dicit contrarium opinionem esse veram. Aliis vero videtur etiam post Trident. esse probabilis: quia non videtur Tridentinum damnare veram opinionem, quam Doctissimi viri sequebantur. Sicut Scotus, Medina, Armilla, Silvester cit. Suariorum hic. Adde Gabrielem, Tabienam, Navarrum, Hostiens. & Panormitanum cit. à P. Antonio Sanctarell. in manuscript. de Sacramentis hic. Vide etiam Dianam 2. par. tr. 1. An. Res. 51. & par. 3. Tr. 4. ref. 51. Ex qua opinio sequitur quod si esset pœnitens aliquis, qui nōlet acceptare, potest in Purgatorio solvere; non esset ex hoc præceptum censendus indispositus ( nisi forte recuset pœnitentiam etiam parvam esse signum non veri doloris ) nec potest hoc solum esse sine absolutione amittendus, quia sequitur opinionem quam tanti viri sequuntur. Cæterum citatus à Delugo disp. 25. de pœn. sect. 5. n. 88. addit non solum non esse obligationem sub mortali, acceptandam; sed nec implendi acceptatam: quod sane, est nimis ample dictum.

§ II. Quando debet Pœnitentiam adimplere Pœnitens?

Potest esse difficultas Primò, quantum temporis post absolutionem ( nam sicut certum est, posse solvi ante absolutionem; sic certum est, id non esse necessarium ) Secundò, An in tempore, quo forte pœnitens sit in statu peccati mortalis. Tertio, an in tempore, quo exercet aliud opus de præcepto: v. g. an possit recitare coronam injunctam ex pœnitentia, dum audit Sacram De præcepto Ecclesiar?

Quoad Primum: per se debet adimpleri pœnitentia quando Confessor designat: licet facile excusari possit à mortali, dilatio talis temporis designati: quia communiter Confessorij præceptum cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus. Quòd si non designat, ut communiter fieri consuevit; per se loquendo, debet impleri quam primum commode moraliter potest, si certi obligat votum, aliaque similia: Ita Suarez cit. hic videtur tamen probabile cum Delugo d. 25. sect. 5. de pœn. num. 92. quod dilatio, nisi sit nimia, & ad longum tempus, & nisi ipsa dilatio minuat rem iustitiam, non sit mortalis: Sicuti idem dicitur à Delugo ibidem, de voto absque temporis determinatione emisso, quando dilatio rem promissam non minuit, ut minueret tardus ingressus in Religionem. Aliqui ut Antonius Fernandez in Instruct. Conf. 1. p. docum. 7. §. 2. n. 2. simpliciter, & absolute extendunt ita ejusmodi obligationem; ut censent ad unum annum posse differri: sicuti ad unum annum differri potest obligatio confitendi: quod tamen videtur nimis largè prolatum.

Quoad Secundum, Dico posse adimpleri à pœnitente dum est in statu peccati mortalis: Sic Delugo de pœn. disp. 25. sect. 3. & communiter: quia quamvis tunc non sit in statu meriti; tamen est in statu, quo potest præcepto Confessorij satisfacere.

Quoad Tertium, Potest Pœnitens solvere pœnitentiam quando exercet aliud opus de præcepto; si pœnitentia, & dictum opus non se invicem excludant: Sic

Castrop. Tom. 1. Tr. de legibus disp. 1. p. 20. n. 1. quare dum audit Missam de præcepto; potest recitare v. g. Coronam Beate Virginis impositam in pœnitentiam: non enim hæc se excludunt, &c.

§ III. An possit impleri pœnitentia per alium?

11. Cum satisfactio sit personalis; communiter per seipsum illam pœnitens exhibere debet: nisi forte sit Eleemosyna, quæ talem rigorem non requirit. Vide Delugo disp. 25. sec. 5. de pœn. num. 79. Si tamen judicaverit Confessor, ex iusta & rationabili causa, expedire imponere satisfactionem implendam per alium, potest, non est impossibile. Ita Suar. disp. cit. 38. de pœn. sec. 9.

12. Hinc inferitur illum, qui redditus est impotens ad pœnitentiam sibi impositam implendam, non teneri ad illam implendam per alium, etiam si commodè id facere possit. Sic Delugo disp. 25. de pœn. sec. 5. num. 87. Ratio est, quia præceptum non fuit de procurando alieno jejunio v. g. sed de jejunio proprio: quod cum poni non possit, cessat obligatio.

§ IV. Ad quid obligetur Pœnitens si pœnitentia obliviscatur?

13. Eodem modo, qui oblitus est pœnitentiæ sibi impositæ, manet liber ab obligatione præcepti Confessorij quandiu non recordatur, & memorem Confessorium consulere non potest. Ita idem ibid. Nec tenetur Confessionem repetere, ut iterum pœnitentiam recipiat. Quæ quidem vera sunt, etiam si culpabiliter, oblitus sit pœnitentiæ: tunc enim satis erit confiteri peccatum illius oblivioni culpabilis. Ita Vasq. cit. q. 94. ar. p. dub. 4. Ratio horum est, quia non plus tale præceptum saltem sub mortali obligat, quam cæteræ leges, ac præcepta, ut supra dictum est, quæ dum ignorantur, obligare nequaquam possunt.

§ V. Qua ratione obligetur Pœnitens ad circumstantias operis impositi à Confessorio?

14. Si impositum sit v. g. recitare aliquot Coronas ante talem imaginem, vel flexis genibus; an satisfaciatur pœnitens ante aliam imaginem, vel stando, &c. Distinguetur est cum Delugo cit. n. 93. sicuti solet, distinguuntur de voto cum Sanchez l. 4. in Decal. c. 12. num. 8. Quando enim res promissa est gravis & circumstantia levi, ut communiter est in dicto casu, de recitatione coronatum ante talem imaginem; obligabitur pœnitens ad illam circumstantiam, solum sub veniali; at quando circumstantia est gravis, ut si in tali imagini esset particulare obsequium, propter concursum, vel aliud simile, ut gratiam alicui videtur esse in recitatione coronatum flexis genibus: tunc obligabitur etiam ad illam circumstantiam sub mortali. Atque hinc etiam colliges, An liberetur pœnitens ad obligationem ponendi pœnitentiam, quando non potest ponere circumstantiam injunctam à Confessorio. Regula enim desumenda est ex simile paritate voti. Sic ibid. Sanchez. Et breviter totum negotium colligerendum est ex intentione Confessorij imponentis pœnitentiam: Ita Delugo paulo ante cit. n. 94. Si enim ex conjecturis colliges ejus intentionem solum fuisse ad substantiam operis etiam cessante circumstantia; dum hanc non potes, illam exhibere debes; secus, non item.

C A P V T III.

De commutatione Pœnitentiæ.

§ I. An pœnitens sibi commutare possit pœnitentiam à Confessorio injunctam.

15. Dico non posse ita Sanchez, Regim. Coninch. Aliique quos citat, sequiturque Delugo disp. 25. de